



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

147. An donatio Constantini facta D. Syluestro sit vera, & valida, & id
negantes sint denunciandi Inquisitoribus. Ex p. 8. tr. 6. res. 136.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

lib. 11. c. 19. per totum, ubi ponit nouem causas, ex quibus quis presumitur donare.

3. Sed, an si quis tradiderit aliquam rem alteri, & nihil expresserit, eam donare videatur? Respondeo, in dubio non creditur donasse, sed vel deposuisse, vel commoisse, vel mutuum dedisse: Glossa in l. cum quid ff. si cert. pet. et ibi Bart. Paulus, Iason, Alex. & alij.

4. Non definiam etiam hic adnotare, quod licet donatio regulariter non presumatur, argum. l. cum de 25. in pr. & qui enim ff. de probat. Menoch. de arbitr. ind. q. 2. c. 8. n. 1. & seqq. Maynard. de probat. con. l. 55. n. 1. & seqq. Bocerus de don. c. 1. n. 19. & seqq. cum donare sit perdere, l. filiusfamilias 7. in princ. ff. de don. Cephalus conf. 308. n. 42. lib. 2. perdere autem non est virtutis, sed

vitij. Nobilitas tamen viri facit presumi donationem, Lupus in rubr. de don. §. 1. nu. 2. 14. & seqq. Callanaeus in catalog. p. 8. confid. 35. Mascard. concl. 555. n. 58. & seqq. Menochius cas. 88. n. 49. Surdus dec. 166. n. 19. Honded. conf. 30. n. 1. & seqq. & num. 19. vol. 2. Burfatus conf. 420. n. 22. lib. 4. Natura enim Nobilitas est donare, per textum in c. 1. de don. literis autem, aut si quid auro pretiosius, est scribendum, ut ait Riminialdus iun. conf. 672. n. 44. lib. 6. In tantum, ut si Nobilis in aliquo donum confert, donatarius illi non obligetur ad antidota, cum hæc obligatio naturalis non habeat locum in Nobilibus. Io. Lupus in d. rubr. §. 9. n. 7. Hippolyt. Riminiald. conf. 569. n. 90. lib. 5. cuius donatio debet esse sine ulla spe cuiuspiam remunerationis pecuniaria. Iacobus Beluif. in §. fin. qui feud. dar. poss. Tiraq. de Nobil. c. 37. n. 4. ita ut remunerans Nobilem, proprie, pure, & simpliciter donare videatur, ut declarat Hippolyt. Riminiald. in Inst. ad tit. de don. in prin. n. 401. & seqq. Quæ omnia docet etiam Iosius Nolden. in tractatione synoptica de Nobilitate, c. 16 §. 4. n. 20. & seqq.

RESOL. CXLV.

An si quis donauit aliquam rem alicui, qui talem donationem probare non potest, possit in conscientia tantum subripere ab hærede, quantum res illa valebat? Ex p. 8. tr. 6. Ref. 90.

§. 1. **A**D hunc casum respondit affirmatiue Layman, lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 5. ubi sic ait. In dubio potius presumendum esse donationem inter viuos, quam mortis causa factam, tradit glossa recepta in l. vol. C. de don. caus. mort. v. Indigere. Et ad contrarij probationem non satis est, si hæres ostendat donatorem in hærum fuisse, vel in mortis periculo constitutum, cum donaret; sed ostendi debet, donationem in mortis tempus collatam, seu dependentem a morte donatoris factam esse: idque vel verbis expressis, vel saltem presumptione, quia mortis mentionem in dispositione fecit, qua de re Nauarr. lib. 3. conf. 4. n. 9. de don. edit. 2. Syluester v. Donatio. 4. 7. 3. Clar. lib. 4. sent. §. Donatio, q. 4. n. 4. Molina tom. 2. disp. 287. ad fin. Addit verò Nauarr. licet donator infirmus aliam conditionem apponat, tamen non dependentem a morte ipsius, v. g. donatæ tibi sint aedes meæ, nisi intra mensem renouaui, censendam esse donationem inter viuos, quæ elapso tempore, & non facta renouatione, simpliciter purificatur.

2. Ex dictis colligitur, multum referre ad donationem tum inter viuos, tum mortis causa adiuvandam, si res donata donatario statim tradatur, ita ut accipientis fiat. Expedi etiam, ut donationi testes adhibeantur, quamuis cum discrimine: nam ad donationem mortis causa quinquarius testium numerus per se requiritur, tanquam ad actus valorem, saltem secundum considerationem legis civilis, iuxta ea quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 16. n. 5. At verò ad donationem inter viuos testes duo, aliudve probationis genus requiritur per accidens, ne res donata in externo foro ab hæredibus cuius possit. Verum in conscientia foro tutus est donatarius, quamuis nulla probatione munitus, si sciat, aut credat defunctum ani-

um donandi. habuisse. Hucusque Layman, cui addo Homobonum, in consuli. mort. vol. 2. p. 67. ff. 72.

RESOL. CXLVI.

An donatarius teneatur soluere vota donantis, si non sit soluendo, aut mortuus sit?

Et quid si donatarius acceperit, sciens vouentem effici impotentem ob id soluendum votum?

Ex quo inferitur, quod donatarius, aut legatarius non teneatur ad persoluenda defuncti debita, ex iustitia, & contractibus. Ex p. 8. tr. 6. Ref. 112.

§. 1. **R**espondeo non teneri (nisi forte donans hoc onus imposuerit donatario) licet donatarius acceperit, sciens vouentem effici impotentem ob id ad persoluendum votum, quia, ut supponimus, rem accipit à vero domino, sine vilo onere. Tum etiam, quia donatarius, aut legatarius non teneatur ad persoluenda defuncti debita ex iustitia, vt docent DD. de contractibus, ergo multò minus teneatur ad vota, quæ non sunt debita ex iustitia, sed ex Religione. Et licet peccauerit accipiendo, non tamen hinc sequitur teneri ad restitutionem, & non posse liberè vt re accepta; nam obligatio restituendi oritur ex iniusta actione: hic autem nullam actionem iniustam exercuit, cum non magis peccauerit, quam ipse vouens: at vouens non peccauit contra iustitiam, proprie acceptam, sed contra Religionem, Vnde Suarez lib. 4. de voto, c. 16. n. 12. Sanchez lib. 9. de maritali disp. 3. n. 2. & alios penes ipsos.

RESOL. CXLVII.

An donatio Constantini facta D. Syluestro sit vera, & valida, & id negantes sint denunciandi Inquisitoribus? Ex p. 8. tr. 6. Ref. 136.

1. §. **V**T in hoc tractatu, magis proximè, & immedie, calamus noster S. Sedi Apostolica deferuiat, & B. Petro meo Tutelari, & Patrono, ac eius Successoribus Summis Pontificibus pro eius coronide hanc quætionem breuiter pertractabo.

2. Dico igitur, quod Hæretici nostri temporis, cum temerario Valla, negatiuam sententiam tenent; & ita docet Limmaus de iure publico, lib. 1. c. 9. n. 37. & seqq. Crapzouius ad legem Regiam Germanorum, c. 7. lib. 5. n. 1. & seqq. Schutz in Collegio iuris publici, disp. 1. lib. 18. litt. B. Mylerus in Addit. ad Martinum Rumeinum super aueam Bullam Caroli IV. p. 3. dissert. 2. n. 12. Kie-benthal in Collegio politico exercit. 7. q. 7. Arnleus de iur. Maieft. lib. 1. c. 5. n. 6. Bruckmannus de Regalib. §. soluta potestas, mēbr. 2. effect. 7. n. 39. Reinhardus in theatro politico, p. 1. c. 16. Clapmarus de arcanis rerum publicarum, lib. 1. c. 5. Rittershusius in Nouell. iustit. p. 7. n. 12. & p. 4. c. 11. n. 6. Schneidevinius ad Rubric. promij Inst. n. 7. Scibi in notis marginalibus VVesbecius, Harpprechtus ibid. n. 86. Heigius n. 42. Camerarius Hararum subsidiiuarum, cent. 1. c. 61. Ouandrus in Epitoma bist. cent. 4. lib. 1. c. 38. Laurentius Ohm tr. de iur. Episcopali, concl. 7. litt. A. Hotomannus lib. de disp. feud. c. 8. Bocerus de Regalib. c. 4. n. 41. Reinkingh de regimine seculari, & Ecclesiastico, lib. 1. class. 2. c. 8. n. 54. & seqq. Schonborner in Politica, lib. 2. c. 22. Hecnonius in disp. politic. disp. 2. n. 2. litt. A. Matth. Steph. tr. de iurisdict. lib. 2. p. 1. c. 1. membr. 1. num. 32. & seqq. Zepper de legib. Moysiis, lib. 4. c. 10. Bodinus de Republica, lib. 1. cap. 9. n. 141. & Sivolt. in Collegio publico disp. 3. n. 7. litt. B. 3. Vidisti (amice Lector) vulpeculas in aciem ordinatas, ad demolendam vineam. Sed vide etiam catapultas & arietes, quibus armati ad bellandum andaces incidunt. Probat igitur suam sententiam sequentibus argumentis. Primo, quia Historici, qui res à Constantino Magno gestas accurate scripserunt, non faciunt eius rei mentionem, ne dum fidem. Secundo, Constantinus testa-

Sup. his 5. re-
tribus magis
late sup. in
Ref. 92. ad
lin. 2. & §. 2.
& seqq.

mento suo Imperium Orientis, & Occidentis diuisit inter filios. *Tertio*, constat Romam 414. iplis annis sub potestate Imperatorum à morte Constantini mansisse, mortuus enim est Constantinus anno Christi 337. & Roma tandem anno 753. ex Pepini potestate in Papam transiit. *Quarto*, si vt subscriptio dicti Canonis *Constantinus*, habet, donatio facta fuit sub quarto Constantini Consolato, quem anno 315. gessit; sequeretur eam 22. antequam facta erat, in scripturam redactam fuisse; quod sic probatur. Quarto die Baptismatis Constantinus hanc donationem fecit, iuxta Canon. *Constantinus*, in initio, sed baptizatus est anno 337. quo ipse decessit; ergo consequentia vera est, si donatio anno 315. scripto comprehensa fuit. *Quinto*, Syluester mortuus est anno 330. ergo si Constantinus anno 337. baptizatus, & donatio eodem anno facta ponatur, Syluester 7. anno post suam mortem Constantinum baptizauit, & ab eodem donationem acceptauit. *Sexto*, Constantinus tempore 4. Consolatus Orientis Imperium necdum habuit. *Septimo*, eodem tempore Christianus necdum pax & tranquillitas obtigit. *Octauo*, bellum ciuile necdum fuit sopitum. Et hæc sunt potissima argumenta, quæ contrarios Nouatores adducunt.

4. Sed contra hos hostes infensos Rom. Ecclesiæ, potius dictam donationem extasse, & validam fuisse constanter tenendum est, ex Can. *Constantinus*, dist. 96. cuius antiquissima auctoritas confirmatur per Can. *Constantinus*, dist. 96. c. *fundamentum*, de elect. in 6. Clem. 9. c. *de iur. iur.* & ita hanc sententiam tenent communiter DD. quos ad satietatē adducit Buccellus de don. *Constantini Magni*, p. 1. per 1. v. & ante illum Marthæ de iur. p. 2. c. 2. 9. per totum, quibus ego addam alios ab ipsis non citatos, nec viuos, videlicet sapientissimum & amantissimum Dominum meum Solorzanum de *Indiarum iure*, tom. 1. lib. 2. c. 22. n. 5. Paramum de orig. *Inquis.* lib. 3. q. 1. opin. 1. ex n. 40. Borrellum de prest. Reg. Cath. c. 47. ex n. 20. Valenzuelam in *defens. monit.* Pauli V. p. 3. n. 50. & segg. Grefserum de Imper. Reg. & c. in *Sedem Apostol. munificentia*, Appen. 2. Azor. 1. 2. lib. 4. c. 34. Crotium in *thes. Cathol.* 10. 2. lib. 7. de Hier. Eccles. 10. & Molinæ de iust. 10. 1. r. 2. disp. 25. n. 4. ubi loquens de hac donatione, sic ait, Quidquid quidam Iurisperiti dixerint, dicendum est cum Bart. in rubr. *procuratorij* cit. tametsi eo in loco non admodum sit firmus (Panorm. loc. cit. Maiore in 4. dist. 15. q. 10. p. 2. & multis aliis, non solum bona fide, & absque peccato factam acceptamque fuisse, sed etiam videri profectam ex diuina inspiratione ad exaltationem, splendorem, & dilatationem Ecclesiæ. Et præterquam quod quasi in remunerationem pro salute videntis diuinitus obtentis, fide, & aliis beneficiis acceptis fuerit facta; facta fuit Deo in ipsius Ecclesiæ, & in commune bonum totius Imperij, tot iam de Imperio subiectis Ecclesiæ. Porro donationes, quæ cedunt in commune Reipublicæ bonum, licite sunt, & ad Rempublicam ciuilem spectant, Ecclesiæ dotare & exaltare, à qua tantquam à matre tot bona accipit, ad cuius finem finis temporalis Reipublicæ ordinatur, & peculiariter id spectat ad Principes nomine totius Reipublicæ, donationesque in causas pias fauorabiliores multo sunt in iur. quàm reliquæ, præscribente docenteque id lumine naturali. Accedit, à sanctissimo Syluestro fuisse acceptam, in eaque sanctissimos & doctissimos Summos Pontifices perseverare, atque in eam sequentes Imperatores & Republicas consensisse. Hucque Molina.

5. Sed circa præsentem questionem omnino videntur fuisse præter Doctores citatos, Boëtius Episcopus in *suis questionibus Heroicis*, lib. 2. de iure Sacro, qu. 3. per totum. Ferdinandus VVazzeneggerus dissertatione 2. de Imperatore, & Imperio, c. 3. n. 3. & segg. Marcus Ant. Cappellus in d. sp. 2. de successione Episcoporum Romani in Pontificatu Beati Petri, c. 10. Rodericus Acugna in decretum Gratiani, p. 1. dist. 96. c. 14. n. 1. & segg. qui om-

nes variis rationibus confirmant donationem Constantini esse veram, & validam, quas hic breuitatis causâ non adduco.

Restat modò respondere ad argumenta Hæreticorum in contrarium adducta. Et

6. Ad primum respondet Iacobus Grefserus in *Comment. de Imp. Reg. munificent.* c. 5. nō longè à principio, lat. vetustos Auctores esse, qui ante 500. & quot excurrunt annos vixerunt, Leonem IX. huius Edicti nō meminisse vt nuperi, sed vt vetusti, nec Græcis illud intrepide obiecturum fuisse, si illud à Græcis tam facillè quoad omnia falsitatis accusari potuisset, emergere etiamnum hodie veterum monumenta in lucem, quorum veteres non meminissent, & tamen de eorum fide non dubitari.

7. Aliter hoc argumentum diluit Boëtius dist. loc. q. 3. n. 63. ac scribit, non omnes Scriptores attigisse omnia, donationem Constantinianam ita fuisse omnibus vulgo notam, vt eius meminisse non censerint operæ pretium, formulas eiusdem Græcas & Latinas per manus omnium ambulasse: euentiam rei, possessionem per tot sæcula ferè nunquam interruptam, & spontè per Reges & Imperatores restitutam Pontifices defendere, inuidia multorum, præsertim Græcorum Scriptorum, fortè rem gestam suppressam fuisse. Nos quoque vim argumenti nullam esse, & his rationibus, & illis, quæ ex supradictis apparent, arbitramur.

8. *Secundi* & *Tertij* argumenti vires nullas agnoscit Boëtius dist. q. 3. & variè respondet. *Primo*, potuisse Constantinum, potuisse eius filios, ceterosque successores donatione iam facta dominari, quod existimarent Imperium primarium non esse donatum. *Secundo*, imperasse eisdem, non vt Imperatores, sed vt Sancti Pontifices, Vicarios ac Præsides. *Tertio*, forsitan Constantinum à Syluestro, qui diadema Regium non acceptauit, Imperium recepit, quod illud mallet à Christi Vicario, quàm Gentilium Ethnicorum suffragiis obtinere. *Quarto*, post Præpositum in *de can. Constantinus*, §. *confirmat*, censet multas potuisse causas interuenire, cur Imperatores non obstante donatione Romæ, in Italia, & per Occidentem imperarent, vel tolerantiam Pontificum, vel Imperatorum violentiam, vel necessitatem temporum, quæ tamen non potuerint iuri Ecclesiæ Romanæ quidquam derogare.

9. Quod si certa autoritate constarent ea quæ Nicolaus Sanderus de *visibili Monarchia Ecclesiæ*, lib. 7. n. 90. scribit, argumentum hoc per se rueret. Scimus, inquit ille, Constantinum, relicta Româ, quæ fuisse nouas Sedes. Constat posteros illius nunquam ferè ad Urbem figendæ illie Sedis causâ reuertisse. Ac sanè si nihil omnino scriptum extaret, tamen quis non miretur Dei providentiam, & consilium hac in re? Ex tot Imperatoribus Augustis, qui Romani Imperij nomine ac titulo, tam in Oriente, quàm in Occidente tantopere gloriantur, videmus ab illo die, nec vnum ferè in vrbe Roma, velut in stabili sede Imperij sui substituisse; verum aut Constantinopoli, aut Mediolani, aut Rauenar, aut in aliqua Galliarum vrbe habitasse? Romani verò velut penè peregrinos, honoris causâ, interdum inuississe. Zonaras in *vita Constantis nepotis Hæracij*, refert eum cogitasse de Imperio in veterem Romam transferendo, quod plus honoris matri quàm filia deberi diceret; sed id non successit; Christus enim videtur, vt omnia marmora, & alia ornamenta, quæ Romam ex toto mundo portabantur, suis ac Martyrum suorum Templis, ita & ipsam Urbem Principis Apostolorum cathedrâ in æternum destinasse. Ita Sanderus eximius Theologus, cuius opinio contemnenda non est, maxime quod res ipsa doceat, marmora, ceteraque Romanæ magnificentia monumenta, ferè omnia in Templorum ornamenta cessisse.

10. Addi potest ex Baronio & Grefsero *ubi supra*, etsi donationibus Summi Pontifices in solidum vsi non fuissent,

fuisse, sed Imperatoribus exercitum Imperij permansisset: non ideo tamen eam falsitatis iure acculari. Est tamen verisimilius S. Sylvestrum donationem, quia ipsi Deo, & quanta facta fuit, acceptasse.

11. Nec enim præsumitur diuino honori & Ecclesiæ commodis defuisse, & quia solam coronam Imperialem recusasse legimus, consequens est ab eo cetera fuisse acceptata. Quamvis neque acceptatione opus erat, cum satis fuerit Deum ipsum opus ex virtute religionis profectum acceptasse.

12. Quarta & quinta obiectio historice veritatis aduersantur: ut enim Baronius dicto anno Christi 324. contra Eusebium hominem Arianum, & alios disputat, & ostendit, Constantinus iam dicto anno baptizatus fuit Romæ, non 337. Nicomediæ, non etiam anno 315. quo quartum Consul fuit; licet enim subscriptio dicti Canonis, *Constantinus*, id ferat, non tamen verum est. Manet itaque, & subscriptionem falsam esse, & Eusebium vñ cum impietate Ariana imbibisse dolos ad mendacia, in fraudem Ecclesiæ Romanæ concinnanda, ut Baronius loquitur.

13. Sexis, septimi & octauo argumenti falsitatem. Victoria contra Maximinianum, & contra Licinium, qui demum anno 313. ad priuatam conditionem redactus est, conuincit, & Baronius eodem anno scribit in Oriente Christianos exules reuocatos; Occidentis Imperium cum Oriente coniunctum; ac bellum, quod cum Maximiliano & Licinio fuerat civile, finitum fuisse.

14. Alia autem esset hic discutienda difficultas; nam si donatio Constantini, ut est in Canone, *Constantinus* diff. 96. esset in omnibus admittenda, sequeretur, vñ cum Roma, totam Hispaniam, Italiam, Germaniam, Angliam in Summum Pontificem fuisse translatam. Sed circa hæc difficultatem multa asserunt Baronius, Gretserus, & VVaizeneggerus loc. cit. & præcipue Acugna n. 9. ad quos amicum lectorem relego;

15. Nota, quod statibus supradictis, tamen eorum opinionem non improbamus, qui possessionem Sedis Apostolicæ continuatione temporis, quod hominum memoriam excedit, defendunt. Quamvis enim bona ad Regiam Coronam pertinentia, non possint absque sensu populi alienari, & de illius voluntate, quia Constantini tempore Ethnicismo maxima ex parte fuit addictus, non plene constet; præscriptio tamen SS. Pontificum tuetur, imò tuetur, etsi maxime Principes, à quibus illæ donationes in Ecclesiam profectæ sunt, Tyranni, & violenti possessores rerum donatarum fuissent; nam & ipsa tyrannis tandem in iustum Imperium mutatur. Eminentiſſimus Bellæminus lib. 5. de Sum. Pont. Videtur Fernandez, Vasquez contron. illustrum, c. 7. n. 27.

16. Nota etiam, quod seculsa donatione Constantini, de ceteris Provinciis, quæ postea Romanæ Ecclesiæ accesserunt, nulla contentio est; & vniuersum statum istius questionis alium hodie esse, quam olim observauit Molina de iust. tom. 1. rr. 2. q. 25. vbi sic asserit. Probè notat Albertus Pighius lib. 5. Hierarb. Eccl. c. 6. donatio illa tota per Constantinum facta extinguitur.

Imperio illo antiquo in Italia, aliisque Occidentis partibus, ut disputatione proximè præcedenti dictum est, expirauit; longèque aliam originem habent bona, quæ postea ut sua Romana Ecclesia possedit, ut iam nunc subiungam, ab illa antiqua origine. Et est donatio facta per Constantinum non expirasset, cum (ut disputatione præcedenti ostensum est) Imperium Germaniæ, quod hodie est in Ecclesia, longè diuersum sit ab illo antiquo Constantini & successorum, nil sanè boni illa, quæ à Constantino Ecclesiæ Romanæ fuerunt donata, ad Imperatores Germanos, qui modò sunt, pertinerent. Quod verò bona, quæ ad patrimonium Romanæ Ecclesiæ spectant, longè diuersam originem ab illa antiqua habeant, ostendit optimè Albertus Pighius, & constat ex aliis, quot idem Auctor, & Genebrardus, referunt. Arithmetus namque Longobardorum Rex donauit Ecclesiæ Romanæ Exarchatum Rauennatem (qui multas vires continet) & multa alia Pipinus postea, & Carolus Magnus eius filius, extirpatis funditus ex Italia Longobardis, donationem auxerunt. Mechthildis postea Comitissa moriens Ecclesiæ Romanæ reliquit quiddam à Pissia amne, & Sancto Quirico agri Senensis vsque ad Capernam inter Appenninum, & mare interiacet. Atque id est quod peculiariter dicitur Petri patrimonium. Vltro deinde accesserunt terris Ecclesiæ, Beneuentanus Ducatus, & postremò vtrique Sicilia Nortmannorum fratrum, Tancredi filiorum virtute à Saracenis & Græculis vindicata, Huicque Molina.

17. Igitur ex omnibus supradictis contra Nouatores dicendum est, Constantini donationem olim Ecclesiæ factam, veram & validam fuisse. Et ideo ex his apparet, asserentes, vel scribentes, donationem Constantini Beato Syluestro factam non fuisse veram, esse denunciandos S. Officio, & tanquam ad minus temerarios esse censendos, & vti tales à Dominis Inquisitoribus puniendos, ut optimè obseruat Carena in praxi S. Officii p. 2. tit. 16. §. 3. n. 7. quia talis opinio est contra communem sensum Pontificum, Theologorum, Cancellarum, & Iurisperitorum: & ideo temeraria dicenda est. Imò Albertinus de agnos. asserit. Cathol. q. 17. n. 2. & alij, asserunt illos qui hodie Constantini donationem negarent, non procul esse ab hæresi. Et Valenzuela in defenſ. monit. Paul. V. p. 3. n. 51. ait, opinionem illam esse damnatam in Concilio Constantiensis, sess. 8. & in Bull. Martini V.

18. Caueant igitur ab hac sententia in priuatis colloquiis aliqui nostri temporis puri, & meri legulei, aut qui Historiographos recondite eruditionis se iactare conantur: nam alloqui in nostro sacro Tribunali, de eorum audacia merito penas luent. Vnde ex his omnibus apparet cautè legendos esse, Alciatum lib. 7. de Parerg. Iuris ciuilib. c. 19. Igneum in l. donationes quas parentis n. 22. C. de donationib. & alios paucos Iurisperitos in dubium ponentes hanc Constantini donationem. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem Tractatum de donationib. quam materiam fusiùs explicare volui, quia ex diuersis casibus mihi in dies consultis, cognoui materiam esse satis quotidianam & practicabilem.

In indice primo huius Tom. 6. vide Apendicem ad hunc Tract. 7. vbi reperies alias multas Diffinitas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc Tract. 7. de Donationibus.